DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
INCURABILIBUS AFFECTIBUS,

Quam,

FAVENTE DEO OPTIMO MAXIMO,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA.
DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE,

In Illuſtri Fridericiana

GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHLII,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR.

DN. PROMOTORIS SUI, OMNI HONORIS CULTU ÆTATEM PROSEQUENDI,

PRO LICENTIA

Summos in MEDICINA Honores, Inſignia & Privilegia DOCTORALIA, rite ac legitime capeſſendi,

Die   Octobr. MDCCV. Horis ante- & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Placido ac Publico Eruditorum examini ſubmittit

CHRISTIANUS MEISNER,

Lignitio-Sileſius, Practicus Grunbergenſis.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis CHR. HENCKELII, Acad. Typogr.

ASSOCIATION GÉNÉRALE DES ÉTUDIANTS Montpellier

PROOEMIUM.

SI ulla alia res artem Medicam honeſtat, eſt certè perita Prognoſis, ſeu enunciatio de eventu morborum. Nitatur autem hæc neceſſe eſt ſolidâ atque verâ diagnoſi, ut quæ partes corporis, quibus modis atque moribus, laborent, dilucidè innoteſcat. Sicut enim adverſus hoſtem quemlibet, ignotis ejus viribus, ignoto belli & armorum genere, loco atque ſtatione copiarum ejus ignorata, viis & itineribus incognitis & inexploratis, temere incedere, frivolum ſit, & ab omni bona ſpe felicis exitus alienum: ita nihilo magis rationi convenerit, humano corpori ſalutarem medicationem polliceri, ſi læſionum ejus exacta ratio nos lateat, & motus atque mores morbi, minus atque decet, imò neceſſe ſit, cogniti habeantur. Sæpe certe obſervare liceat, veritatem effati illius apud Thucydidem: ἀμάθεια μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει: *imperitia quidem audaciam & jactantiam, ratio vero cunctationem affert.* Patet his rebus locupletiſſima occaſio, in Praxi Medica, imo ſcatet hæc hujus generis exemplis. Nihil ibi familia-

rius, quam vel circa quælibet dubitare atque trepidare, vel ex adverſo, omnes affectus occurrentes, æqualiter parvi pendere, audacibus tentaminibus, & inprimis violentiorum medicationum vehementia, in diem experiri, & ſi quid minus proſpere eveniat, cuilibet potius alii rei, quàm inconvenienti methodo atque medicationi, culpam aſſignare. Utrumque nititur deficiente diagnoſi, & inde tam verâ prognoſi quam juſtâ methodo nunquam ita obtinendis. Non poſtrema verò in his affectibus, eorumque debita cognitione, eſt illa conſideratio, quouſque Medicina, tam intuitu temporis, quàm ultimi effectus ſalutaris, ſeſe extendere poſſit; quàm promptè, & profundè, præſentem aliquem affectum perſanare. Duplex eſt imperitiæ Practicæ genus, primo, quando deeſt ipſa experiendi, nempe praxin exercendi occaſio: alterum, quando in longa etiam & locuplete praxi, deeſt animus, aut capacitas, obſervandi, ſive præjudicia præconceptarum opinionum impediant, ſive ſupina negligentia obſtet. Videas interim ex hiſce fundamentis indies pullulantes, non ſolùm conceptus de morbis nimium quàm incommodos, ſed etiam hiſtorias & relationes maximè perverſas: Interim, quod ſanè dolendum, etiam opinione authoritatis & praxis locupletis, indignè imperitioribus imponentes, arti autem perennia præjudicia & corruptionem conciliantes. Non poſtremo certe loco memorari hoc in cenſu merentur illi affectus, qui ſolidam, veram funditùs, & conſtantem curam, non amplius admittunt; ſed vel quales ſemel ſunt, manent, jugi & nihil interpolata vehementia: vel conceſſis tantisper induciis, breviter reſpirantibus velut ægris, iterum iterumque priſtina violentia incumbunt, donec tandem prævalentes, patientem nihil intermiſſa

affli-

afflictione, ad tumulum non magis comitentur, quam recta deducant. Hujusmodi morbi ne Medicis temere imponant, plus uno nomine & intuitu juſtum & æquum eſt. Inprimis autem primò ratione artis ipſius, ut de illorum vero genio, verè etiam & rectè conſtet; deinde intuitu patientis, ut ille etiam, non ſolum quid ſperare ſibi liceat, imò expectare, intelligat: ſed etiam eo ipſo patientius ſublevationibus acquieſcere diſcat, ne (cujus rei familiaria ſunt exempla) ad frivolas pollicitationes imperitorum reſpectans, θϱάσος illorum periclitari ſuſcipiat: tandem Medici quoque intuitu, ut ille etiam circa flebile beneficium palliationis atque mitigationis, Soſtrum ita (ſi qua eſt ea cura) temperet, ne tandem etiam hoc intuitu valeat, non vana hinc inde, obſervatio illa Becheri in Pſychoſophia: de Medicè partis, non gaudet tertius hæres. Quicquid horum ſit, rem certè in ſe veram, luculentius innoteſcere, non parvum operæ pretium fuerit. Hoc itaque intuitu in animum induxi, ſpeciminis INAUGURALIS thema ſumere, INCURABILIUM affectuum conſiderationem.

Deum autem Ter Optimum Maximum ſupplicibus precibus veneramur, velit nobis in hoc etiam propoſito, largiſſima ſua benedictione adeſſe, ut veritatem rectè aſſequamur, adeoque, quæ ad publicum artis, imò humani generis, commodum pertineant, ſufficienter exſequamur.

I.

INCURABILES affectus appellamus, non illos abſolutè, quorum Medicus nullam curam ſuſcipere audeat: ſiquidem hic non ſolum ſubinde valet, quod *dum vita ſupereſt, ſpes ſuperſit*: imò ſubinde etiam ad minimum *mitigationem* aliquam admittant affectus tales, ſi vel maxime *funditus eradicari* recuſent: ſed tales hoc nomine notamus, qui, quicquid

etiam ſcientiâ atque peritiâ & arte, recte & convenienter ſuſcipiatur, tamen ad veram, ſolidam *integritatem*, & conſtantem ejus generis affectus *eradicationem*, pertingere non liceat, quin vel repullando ſubinde, vel jugiter inſiſtendo, utrinque tamen magis magisque *inſoleſcendo*, patientem ad mortem non tam comitetur, quam deducat. Unde quidem *inſanabiles* dicere eodem ſenſu licuerit.

II.

Neque ergò tam abſolutè omnes morbos; qui *a poſteriori*, paſſim quacunque de cauſa non curantur, ad hunc cenſum vocamus; cum quotidiana ſint exempla, non ſolum hominum, qui temere medicam artem exercere affectando, cujus nullam, aut certe nullam ſolidam, cognitionem habeant, utiq; multos morbos quantumcunque *contumaciores*, vel *ipſorum culpa* contumaces redditos, *ſibi incurabiles*, vel fateri, vel certe nulla procedente tentaminum ſuorum efficacia, incuratos relinquere, coguntur: ſed etiam patientium, qui à morbis, etiam alias difficilibus, ſive negligentia, ſive otioſe mendicandi proæretica malitia, vel non velint, vel tandem etiam non posſint, iterum reſtitui. Sed eos ſolum intellectos volumus, qui propria ſua, & *eſſentiali* ut loquuntur, culpa, curationem reſpuunt.

III.

Interim neque illi præciſe nos alligamus exactæ diſtinctioni, ut nihil niſi ſtrictisſimo ſenſu *irreparabiles* affectus attingere nobis liceat; utpote quales etiam omne levamen atq; *mitigationem* recuſarent: verbi gratia *totius membri abſcisſio, oculi exſiccatio*, &c. ſed integrum nobis omnino eſſe volumus, ut etiam illos morbos in hanc tribum redigamus, qui nullam *ſtabilem*, *firmam*, atque *ſolidam*, reparationem, niſi penitus rarisſimis, (& communisſime de veritate hiſtoriæ, tam diagnoſeos, quam medicationis intuitu, merito ſuſpectis) exemplis, admittere obſervantur.

IV.

Unde quidem *habituales*, *contumaces*, *corruptos* morbos

non

non æquè *abſolutè* huc referre contenderimus: interim ex hisce talibus etiam, vel ſatis frequenter ita *incurabiles* fieri, ut non niſi difficillimè, communisſimè vero nequaquam, ullam ſpem *ſolidæ reſtitutionis in integrum* admittant, pro noſtræ tractationis objecto merito allegare poſſe confidimus.

V.

Adhuc meliore vero jure, etiam prælibando, ex cauſarum ſerie, incurabiles recenſebimus illos morbos, qui ipſius *Synergiæ Naturæ* præcipuum, imo ſæpisſimè unicum, concurſum exigentes, hujus *defectu*, omni arti verè intractabiles & irreparabiles perſiſtunt.

VI.

Cum enim *integritas* corporis humani, conſiſtat in *tribus* præcipuis circumſtantiis, 1) *mixtionis* integritate 2) *ſtructuræ* debita proportione: 3) *motuum* juſto vigore, ordine, atque decente menſura: ad quæ omnia atque ſingula, *directe*, & ut loquuntur, *formaliter*, *poſitive*, *ars* nihil efficaciter conferre valeat: eſt profecto *inſanabile & irreparabile* damnum, quando *mixtio* deſtituitur, & actiones illi deſtinatæ fatiſcunt: quando *ſtructura*, vel planè non, vel perperam, inſtruitur: aut *motus* denique; *à priori*, contumaciter ceſſant: aut etiam *à poſteriori*, mixtionis, aut ſtructuræ ſolido vitio prægreſſo, debito modo amplius adminiſtrari non poſſunt.

VII.

Unde quidem verarum harum rerum intuitu, ipſa Medicinæ *vera & directa efficacia*, modum præfiniet, quid in ſua poteſtate ſit ad curationem præſtare, vel ad minimum conferre. Cum enim ars Medica, inprimis ita, uti vulgo etiam cum quantis libet rhetoricis figuris, decantatur, in vero effectu nihil quicquam ultra posſit, niſi ut *motus naturæ ſecretorios & excretorios*, *materiæ*, *viarum*, *temporum* atque *directionum motus*, *juvet* atque ſublevet: niſi illarum ipſarum rerum, quibus *in ſubſidium* ſolum ars tota ſubſervit, *energia* debita ſibi conſtet, ab arte certe, quisquis ſubſit verus & eximius defectus, reparari atq; reſtitui nullo modo valebit.

VIII.

Non quidem jam illud agemus, ut operoſius deducamus, quid, imo quam parum propriè, tota ars Medica, quanta quanta in hodiernam diem publice viget, ad morborum curationem, nuda *cooperatione* imo *ſubminiſtratione*, poſſit. Alias enim duo paradoxa forte eximia, ſed minime profecto paraloga, monſtranda eſſent; nempe 1) quam nihil ars poſſit „*deſtituente natura*: 2) quicquid etiam ars adhuc poteſt, tam „exiguum utique eſſe, ut longe frequentisſime (iterum, & „iterum dico, longe frequentisſimè,) illa ne quidem opus ſit, „ſed, quicquid ibi etiam boni eventus ſequitur, *magis unicè* „*naturæ* beneficio debeatur: cum non ſolum numeroſi tales „caſus indies occurrant, ubi ejusdem generis morbus, ſine „ullo *artificis* ſubſidio, & rectisſime, & promptisſimè, reſti„tuantur: ſed immenſum quantum numeroſiores, ubi Me„dicus quidem concurrat, ſed citra ullam *necesſitatem*: imo „citra ullam veram, conſpicuam, & realem, *utilitatem*: non „jam dicam de numero non contemnendo, ubi etiam non ſine „*periculo aut damno* hoc fiat.

IX.

Verum profectò dicerem, ſi dicerem, omnibus talibus caſibus, Medico *tali* incurabilem eſſe morbum. Nempe à Medico neque *debere* curari; neque *poſſe* curari, ſeu dici poſſe quod *ab illo* curetur: neque curatum *eſſe*, ſi utique curari contingat. Cum autem non placeat gratuita temere proritare, cum nimium quam late patere ſciam hanc corruptionem τῆς ψευδωνύμȣ γνώσεως, ἥν τινες ἐπαγγελλόμενοι, περὶ τὴν πρᾶξιν ἠςόχησαν: (*falſo nominatæ ſcientiæ, quam quidam deprædicantes, à veritate praxeos aberrarunt*) relinquam hujus rei pleniorem demonſtrationem, ex inſtituto forte, D. D. Præſidi, quando ipſi placuerit *Curationis æquivocæ* hiſtoriam texere: inprimis cum *Gideon Harvæus* hanc glaciem jam olim fregerit, quam à variis temporum, imo propemodum ſeculorum, quibusdam criſibus, delibarunt & alii, & præ aliis *Helmontius*, *Paracelſus*, *Petrus de Apono*, *de Abano* aliis, vulgo *Conciliator*

ciliator: merito omnibus modis deteſtantes vel *imprudentiam*, qua plus ſibi arrogat empirica turba, quam in vera artis poteſtate eſt; vel *impudentiam* eorum, qui ſatis ſibi conſcii ſunt, quam parum præſidii, in *ſua* ad minimum, ſi non *univerſæ* artis, efficacia ponere ſit integrum, nihilo ſecius ubilibet ſe & ſua ingerendo, non ſolum pecunia patientes emungunt: ſed ſubinde & intempeſtivis, & contrariis auſibus, in longe *majus periculum* adducunt ægros, quam ex propria morbi indole, non eveniſſet.

Th. X.

Hac accipiendi ratione, tota profectò FEBRIUM quarumlibet turma, morbis incurabilibus accenſenda eſſe. Utpote in quibus *directè ad curationem*, adeo nullæ ſunt Medici partes, ut non ſolum ſine Medico, incredibilis numerus patientium nihiloſecius *rectè*, *ordinè*, *ſolidè*, ſanitatem recuperet: ſed etiam quæcunque ars, nihil hic valeat, niſi unice ad leviter *ſubveniendum*, & excretionum ſucceſſibus *ſubſerviendum*: ita ut primaria tamen, imò ſi recte æſtimetur, univerſa efficax energia, patientis Naturæ ipſimet, unice debeatur.

XI.

Ut itaque propius conſtet, quosnam morbos, & quibus gradibus, *incurabiles* habendos eſſe agnoſcamus, conſtituemus de illis, & normam veluti etiam exhibebimus, ad quam cenſum noſtrum agere placeat. *Primo* itaque loco notabimus eos affectus, qui *vix unquam*, *ſolidè* & *conſtanter* eradicantur; quin etiam *longis* ſæpe, & vulgo vix pro talibus agnitis, *intervallis* recrudeſcendo, ſatis monſtrent, quod ſolidum illorum *fundamentum*, aut tactum non ſit, aut certè non fractum. *Secundo* loco illos numerabimus, qui etiam *brevioribus* intervallis, & *gravioribus* exacerbationibus, identidem recurrendo, ita magis magisque inſoleſcunt, ut revera *Medicam* opem indies ferocius aſpernentur, & quanto magis directe ab hac, (inprimis juxta vulgatas hypotheſes,) oppugnantur, tanto magis eſſera, non tam pertinacia, quam vehementiâ, contra aſſurgant, nedum ut illos *abolere*, & *ſanitatem integram* reſtituere liceat.

B XII.

XII.

Quantumlibet autem horum duorum generum affectus, *priores* vix unquam, *poſteriores* vel nunquam, *ſuperare* detur; datur tamen impetum ſubinde *mitigare*, & *frequentiam* ejus atque *vehementiam* præoccupare. *Tertii* vero generis illi erunt, quos non ſolum *ſanandi* nulla datur facultas, ſed ne *curandi* quidem, quantumcunque etiam lato ac protrito ſignificatu: quin potius, ſi vi quâdam cohibere, aut breves *palliativas* inducias conciliare, tentes, nihil niſi acerbior mali ferocia ſubſequatur, quæ non tantum compenſet, ſed communius *multiplicet* damnum, & ad illam Hippocratis prognoſin pertineat: *curati citius intereunt.*

XIII.

Primi itaque ex hisce generis, ſunt illi affectus, qui *evacuationes ſanguinis ſpontaneas*, quantumcunque *aſſuefactas*, & paulo ſolum operoſius procedentes, pro fundamento habent. Hæ enim, niſi *totius vitæ generis* mutatione, inprimis autem in *vegetiore* adhuc *ætate*, iterum deſueſcant; imo vero illud ipſum, quod ita remedio fuit mutatum vitæ genus, niſi poſthac conſtanter ſervetur atque *continuetur*, minime ita *eradicati* eo ipſo, ſed *dilati* ſolum deprehendantur illi affectus, & natura ſerius ocyus, ad indolem ſuam revertatur, & vel paria priſtinis, vel pejora, moliatur.

XIV.

Communiſſimum nempè hoc intuitu eſt in praxi, utriusque ſexus, inprimis *maſculini*, quotidiana offendere exempla, ubi ex *hæmorrhagiis narium* in prima juventute, ſub plethorico manifeſtiore corporis ſtatu aſſuefactis, aliquando proxima *juvenili*, aliquando remotiore *virili* ætate, tanto certius, quin etiam contumacius repullulent, vel iterum *hæmorrhagiæ*, vel *Symbolizantes* omnino cum iisdem affectus *arthritici*: nulla alia methodo miteſcentes, quam ſive ſpontaneis illis, ſive arbitrariis, paribus tamen *evacuationibus* in uſum ductis.

XV.

Quorſum autem, niſi ad hunc ordinem referre conve-

nerit

nerit affectus illos, qui in adoleſcentia circa *caput, oculos, aures*, pertinaciter affligentes, poſt varias irritas in Medicos & Pharmacopœos ſumptuum profuſiones, tandem, pro paucis nummis, *cucurbitulæ* de viâ cedere obſervamus. Hi quidem, quamdiu hoc ſubſidium continuatur, requieſcunt: ſimulac vero illud, tanquam rebus integris, iterum negligitur, priſtina ratione revertendo, manifeſtiſſime confirmant, *non auferri quod differtur.*

XVI.

Enimvero nihil utique manifeſtius in ejusmodi negotiis eſt, quam quod non ſolum curatus & *eradicatus* non ſit talis affectus, quin & *certiſſimè* & *citiſſimè* repullulet: ſed etiam abſurdè pro curatione *fundamentali* allegari poſſit: nempe per parem evacuationis perennem neceſſitatem, qualis in prima illa commotione, aut ejusmodi molimine, evenerat.

XVII.

Non desperamus de noſtri etiam ævi Practicis, inter quos multos ſolertes, artisque & patientium, *ſcientiæ* inquam & *conſcientiæ* veram rationem habentes, novimus & agnoſcimus: interim plus adhuc ſperamus de docta atque proba poſteritate, quod utique prudentius agnitura ſit, quid in hac parte, arti verè adſcribere ſit integrum, & quantum his methodis vel palliare contingat, vel ſanare. Illis autem, quibus futilibus & inutilibus machinulis, & mendacibus inanium formularum impoſturis, quæſtum & fucum facere neceſſe eſt, ut otio & oſtentationi vacare poſſint, ut pote à Medica veritate etiam toto animo alienis, quod ſuum eſt relinquimus.

XIIX.

Certè *evacuationes* hujusmodi ſemel in qualemcunque habitum deductas, impoſterum non *in ſolidum* reſtitui, aut ſanè rariſſimis exemplis, conſtantiſſimæ veritatis eſt. Loquor iterum de artificiali, medica reſtitutione. Iterum dico, *reſtitutione.* Non de qualicunque diſſimulatione atque *tolerantia*, quamdiu aliud quoddam vicarium remedium, quod in fundo eandem neceſſitatem, ſive ut vulgo

loqvuntur, ſervitutem injungat, in iſtius locum ſubſtitutum, affectum non tollat, ſed placet ſolum, atque molliter foveat, ſi tandem negligatur, gravius rediturum. At vero ſi non jam amplius æquè ipſarum *evacuationum*, ſed operoſiorum *molimi-num* ſpaſticorum, ad has *Evacuationes* collineantium, ſed vero effectu deſtitutorum, *habitus* tandem obrepſit, illius ſors abſolutè jam ad *ſecundæ* noſtræ claſſis genealogiam pertinet.

XIX.

Hæc *ſecunda claſſis* cum omni modo jam nimium quantum magis *refractaria* ſit, & *inſanabilitatis* nomen quolibet intuitu jam multo firmiùs tueatur, tanto exactior ejus utique habenda eſt ratio, nec ejus generaliori magis, quam quoquo modo ſpecialiori quoque catalogo inſiſtendum. De modò indicatæ claſſis *primæ* autem familiâ notandum, quod capita ejus fere ſint *diſpoſitiones* illæ inſuperabiles, ad varias *reſtagnationes*, vulgo dictas *catarrhales aut rhevmaticas*, circà caput & ejus partes, *oculos*, *aures*, *dentes*, *fauces*: qualium rerum complexum, vulgus Germanorum exprimit vocabulis, præcipuo loco, Flůßigkeiten: latius etiam patente appellatione, Sůchtigkeit: die Perſon ſeye ſo trefflich flůßig: zu beharrlichen Flůſſen geneigt: ſeye ſo ſůchtig / umb ein gut Wort ůberfallen ſie die Flůſſe ſo hefftig; habe ſtetigen Schauppen: oder Stock-Schauppen: brennen/ rinnen / rőthe / Blődigkeit der Augen: oder der Ohren und des Gehőrs: der Zapffen ſchieſſe: der Halß verſchleime/ verſchwelle: bekomme einen Fluß hinter den Ohren: ſchlage am Kopff aus: ſeye unter dieſen Dingen allen / ſo gar ſehr ſchlåffrig / verdroſſen und tråge / ſchwindelicht 2c. Hæc omnia, ubi conſtitutio eſt affatim, ut vocant, *phlegmatica*: Si verò magis *ſanguinea* fuerit, omnes hi affectus *acutiores* erunt, & *inflammationibus* propinquiores. Ante omnia *frequentiores*, *ſtabiliores*, *inſolentiores*, & *promptiores* etiam erunt *acuti* capitis *dolores*. Hæc omnia medicamentis quidem abſolutè incaſſum tentari, (ſub ante dictis conditionibus, in ordine *ad ſanationem ſolidam*) certiſſimum eſt. *Palliationibus* autem frequentioribus, aut *heteroclitis* inopportunis medicandi

& methodis, etiam in miſeras ſæpe, certe ſonticas, *anomalias* præcipites agi, obſervatione dignum.

XX.

Placet hujus generis exemplum ſiſtere, quolibet intuitu illuſtre. Juventutem ingreſſus floridam QUIDAM, qui ab adoleſcentia ſatis viridi, animo, corpore, more nimis quam libero educatus, profectiones etiam ſolennes in Galliam, non ſolum ſemel, ſed iterum etiam, & alacriter ſubierat, & feliciter abſolverat; quotidianas etiam, per quaslibet aſperioris cœli vices, excurſiones, venatorias, commeſſatorias, imò non raro quolibet luxus genere evagantes, huc usque ſine notabili ſanitatis diſpendio toleraverat: corporis de reliquo ſtatura atque textura, minime æque robuſta inſtructus: cum aliquando equum fervidioris indolis licentius calcaribus laceſſeret, non ita admodum eo ipſo tempore ſobrius, excutitur ab hoc, ut capite præceps laberetur: citra tamen lapidis aut alius gravioris offendiculi probabilem occurſum. Nullum neque tumoris, neque contuſionis, neque livoris veſtigium. Jacebat tamen per aliquot momenta ſui immemor; eoque magis ad ſe reverſus, conſternatione, & nimiis, ſi res vere æſtimetùr, officiis & obſequiis famulorum, concurſu etiam trepido familiarium, gravius perterrefactus, magis perſuaſione hominum, quorum non placet nominare præcipuos, quam ullo ſenſus ſuffragio, ad medicationes impellitur. Perſuadetur ipſi, quod aliquid intra cranium diſruptum eſſe, veriſimile ſit; præſcribuntur varia cephalica, nervina, calidiora omnia. Afficitur inde juvenis 21. annorum, perpetuæ alacritati, vinoſæ, & plenæ diætæ addictus, & ſane plethoricus, imo etiam frivole jam ſemel iterumque venæſectione uſus, mox veriore, licet leviore, vertigine, & ſenſim ſenſimque etiam reſtagnationibus ſanguinis circa caput, quæ tamen ſecundum reliquum ejus, ut loquuntur, temperamentum paulo magis ſeroſum, in gravedinoſam inprimis, ſenſim etiam qualicunque coryza profluentem, ſtagnationem & exonerationem exibant. Conferebat huc multum diæta repente in contrarium

verſa; quandoquidem neque motibus indulgere, neque vinum bibere, neque cibos conſuetos uſurpare, nec animo tranquilliore eſſe concedebatur: utique poſteaquam firmiter perſuaſum ipſi erat, ab illis, qui artem faciunt neceſſariam, ut ipſi videantur neceſſarii, quod apoplexia, non veſtigia ejus legat, ſed capiti impendeat, imo inſiſtat, proxima qualibet occaſione etiam inſeſſura. Cum tandem etiam acidularum uſus ipſi propoſitus eſſet, quamvis mox à primo intemperantiore, uti quidem ſolet, illarum uſu graviſſimè perturbatus mox deſiſteret; prolapſus eſt inde in talem gravedinoſum Catarrhalem *habitum*, quem poſt ipſos jam viginti ad minimum annos, non ſolum nemo expugnavit; ſed potius variis ſuccedentibus methodis atque mediis, tandem longe importunior alius affectus, quantumlibet ab hac origine minime alienus, ſucceſſit. Sane vero licet per annos 20. & quod excurrit, neque conſiliis, neque remediis, neque ſumptibus parcè actum ſit, patiens tamen nihil inde reportavit, quam cordatiorum quidem prognoſin, quod ad abſolutam integritatem ſpes nulla præſto ſit, ſed præſenti conſtitutioni, quamvis minus ſonticæ, acquieſcere neceſſe ſit: paratiorum autem (pro parata pecunia indignationes ſeveriores placide devorare obſtinatorum,) indefeſſas, licet etiam inanes, remediorum ſuppeditationes.

XXI.

Secunda autem claſſis talium affectuum, qui jam *nimio pertinaciore* contumacia curationi refragantur, tenendum eſt, quod vix non unice innitatur *conſuetudinis diuturnitati*, inprimis autem concurrentibus *occaſionibus* externis; nempe etiam *vitæ generi*, ejusmodi occaſiones offerenti, quibus reliquæ inſolentiores aſſuetudines denuò in actum deducantur. Sicut autem conſuetudines circa *Motus* occupantur, ita hujus claſſis affectus *incurabiles*, ſunt *habituales* mali *conatus*, *motorii*, ad *translationes* varias, ſecretorias & excretorias, inprimis *ſangvinis*, tum etiam ſeroſorum apoſpasmatum, reſpectantes.

XXII.

XXII.

Sicut enim ſanguinis *ſinceri* evacuationes, à *virili* quidem ſexu *ſecundum naturam* alienæ ſunt; obtingente autem, ipſa quoque *præter naturam*, eximia *plethora*, & *pathetico-ſpaſticis commotionibus* aut incitamentis, eveniunt ejusmodi molimina, *exitum* ſanguinis ventilatorium tentantia: qui ſi *prompte* atque ſatis *facilè* ſuccedat, nulla reliqua moleſtia memoratu digna afficiuntur, niſi quidem *nimium ſæpe* & nimio *plus* erumpat. Quantò impeditiùs autem ſuccedunt, concitationis interim *occaſiones*, imo etiam juſtiores concitandi *rationes*, magis ferociunt & inſtant, ibi undique & vehementiores & pertinaciores ſequuntur mali effectus. Quando jam *frequentia* concitationum talium concurrit, promptiſſimè hinc oritur *aſſuetudo*, quo *diutius* aut *ſæpius* recurrit affectus, eò citius *irreparabilem* in poſterum revertendi contumaciam ſervans.

XXIII.

Fœminino ſexui cum propriæ veluti ſint *exonerationes* ſanguinis, quando etiam hæ placidè atque facilè ſuccedunt, neque *plethoræ* inſignis aliquis *exceſſus* concurrit, nihil usquam periculi eſt aut damni. Quando vero *turbatur*, *prægravatur*, aut planè *intercipitur*, conſueta hujusmodi exoneratio: *materia* vero & *ratio* excernendi, non ſolum non minuitur, ſed potius intenditur & augetur: ibi alienos conatus, atque varios horum acerbiores inſultus cooriri, familiariſſimum eſt. Quando vero *frequentioribus* recurſibus, materiæ *abundantia*, motuum promptus *habitus*, *animi* vero motus incitantis, vel aliorum etiam ſtimulorum è rebus non naturalibus, crebrior concurſus, *conſuetudinem* horum etiam perverſorum motuum aut moliminum, introduxerunt, quo *diutius* hæc duravit, eo certius vel *nulla* datur vera atque conſtans ſolidaqueo, reſtitutio, & vera *eradicatio* hujusmodi affectuum, vel nec ulla quidem *effatu verè digna* mitigatio.

XXIV.

Fiunt hæc talia tantò certius & familiarius, quantò jam *auctior ætas*, firmiorem intentionum *animi* conſtantiam atque per-

pertinaciam una formare atque fovere aſſolet. Unde quidem eſt, quod *adoleſcentibus* cujuscunque ſexus, neque adeo prompte & familiariter *obtingant* hujusmodi affectus, neque adeò vehementer *increbeſcant*, neque tam communiter in talem *aſſuetudinis* pertinaciam obfirmentur, uti annis jam magis firmis fieri, vel plebi notum eſt.

XXV.

Accedit, quod in ſexu utroque, inprimis tamen *virili*, *molimina* illa excretoria, etiam ad iſta corporis *loca* tendant, in quibus latioribus *reſtagnationibus*, moleſtioribus *diffuſionibus* & infarctibus, impeditioribus etiam in univerſum *exonerationis* deſtinatæ ſucceſſibus, occaſio eſt: unde tanto familiariores ſunt, ſive *motuum ſpaſticorum* obſtinati rigores, ſive materiarum *translationes* ad alia loca ſymbolica: quale poſterius inprimis fœminino ſexui familiare eſſe ſolet.

XXVI.

Sunt autem hujusmodi affectus, omnes *hæmorrhagiæ inferiores capite*; aut ad ſummum inferiores *pectore*: quandoquidem *hæmoptyſis* maturè iterum occupata, non ita rariſſimè poſt hac requieſcit, aut ad ſummum ad *primæ claſſis* periclitationes tendit. Quæ vero è *Ventriculo*, & *hæmorrhoidibus* erumpit; inprimis conatu quidem importuniore, exitu *abundantiore* aut *crebriore*, illa tanto certius ad hunc cenſum pertinet. *Vomitus* quidem *cruentus*; non tam propria ſui pertinacia, quam ſuccedentibus inde *ſymbolicis* pathematibus: *hæmorrhoides* autem, etiam ſua ſincera ſpecie, atque exitu: quem in ſolidum curare, ſub allegatâ *indole*, atque *aſſueſcendi* aut *inſoleſcendi* habitu, à *Medicâ* ad minimum arte alienum eſt, quin ſerius ocyus *ſuccedentium* longè periculoſiorum, ſymbolicorum tamen, affectuum, paris pertinaciæ, certus eventus expectandus ſit.

XXVII.

Sunt hujus claſſis, primò *hypochondriaco-flatulenti*, *Colici* & *torminoſi* affectus jam *habituales*, in viris; & pares, reverà tamen ab *uterinis* cauſis, *menſtrualibus*, *lochialibus*, *genialibus* (*fluoris albi*, & genialium *cupiditatum*;) *hyſterici* haud injuria dicti, *in*

fœmi-

fœminis: tantò magis jam inſolentiores, *ſuffocativi*, *ſpaſtici*, imò *convulſivi*.

XXIIX.

Porrò, ſicuti dicti hi magis adhuc circa interiora, partim *ſpaſticis*, partim *ſtagnatoriis* originibus innituntur; ab eadem quidem radice pullulant illi magis *ſpaſtici* affectus, *arthritis*, inprimis autem *iſchiadicum*, *gonagricum*, *podagricum* malum.

XXIX.

Referuntur ad hos cenſus etiam vulgo *Convulſivi* chronici affectus, *Epilepſia*, & *vertigines caducæ*. *Melancholiæ* profundiores, imò & *Mania*. *Paralyſes* etiam ſimpliciores fortes, aut *inveteratæ*. Nequè nos ſanè tales tribu movere contendimus. Diverſitatem illam ſolùm agnoſcimus, quod quicquid horum adhuc valdè *junioribus* accidit, melioris ferè ſpei ſit, quam ſi annoſiores ſint patientes. Quando verò etiam *deliria* talia inſolentiora, magis pure à *ſpeculationibus* originem traxerunt, præſenti claſſi in ſolidum illa vindicamus.

XXX.

Summo verò jure, & præcipuo planè loco, hanc ſedem ſibi vendicant, vera *calculoſa nephritis*, & *phthiſis*: ſicut etiam vera *hectica*, *annoſiorum*, & ſimilium *aſcites*, jam ipſe etiam adultus, & ἀκμὴν ſuam adeptus. Sicut etiam eodem pertinent diuturniora *crurum oedemata*, in patientibus jam *annoſioribus*; tánto magis autem tumores *unius cruris* per *febrilem* repentinam metaſtaſin citò coorti, & jam per aliquot menſes, inprimis in *annoſioribus*, obfirmati.

XXXI.

Vix autem mihi tempero, quin omnis generis *ſtrumoſos* tumores huc eodem conjiciam. Connivebo tamen minoribus & recentioribus circa collum. Diffuſioribus & annoſioribus autem rariſſimè *prima*, communiſſimè vero hæc *ſecunda claſſis* debetur. *Inguinum* autem atque *teſtium* Sarcocele, vix unquam *primam*, communiſſime vero hanc *ſecundam* claſſem ſibi vendicant. Ad quam etiam eandem pertinent *ſcirrhi* glanduloſi *mammarum* fœminearum, diuturni, licet *indolentes*: quan-

quocunque vero, ſpontaneo inprimis *ſenſu*, nedum *dolore* conſpicui, ad ſubſequentem ultimum ordinem referri debent.

XXXII.

Sub *auribus* exorientes *glandoſi* tumores, quo majores, duriores, & ſine ſenſu, eo propiores quoque ſunt, eidem *ultimæ* claſſi. Quando vero *recentiores* adhuc ſunt, & citiùs coorti, *ſenſum* etiam manifeſtiorem exhibent, ſunt primæ claſſi accenſendi: imo vero interdum cæteris paribus, & ſub perita medicatione, extrà univerſam hanc ſphæram collocandi.

XXXIII.

Eriſypelata, cum qualicunque impetu, ſpontè & ab interna magis commotione erumpentia, quo *ſæpius* jam coorta, & ita in *conſuetudinem* evidentiorem adducta ſunt, inprimis in ſubjectis jam ipſis etiam *per ætatem* magis obſtinatis, vix poſſunt à *prima* noſtra claſſe excludi. Quando vero valde inſoleſcunt, aut ipſa quidem in poſterum ceſſantia, alios tamen *conjugatos* effectus, in iisdem locis, aut conſpirantibus, exhibent ſuccedaneos, iterum dico, *in annoſioribus*, ad præſentem claſſem ſpectant.

XXXIV

Familiarior eſt in praxi, quam vulgò attenditur, ut in ejusmodi ſubjectis, quæ olim *Eriſypelaceis* talibus decubitibus affectæ fuerunt, (frequentibus quidem, impetuoſis inquam *eriſypelaceis* exundantiis,) ut poſthac, ſi vel maxime hæ tales in forma, ut loqnuntur, non revertantur, tamen alia, raro paria, communiter autem *deteriora pathemata*, in illorum locum ſuccedant. Inprimis quaſi *rhevmatodes* dolores in profundo partis ita affectæ: quale quid interdum etiam magis immediate, à *retropulſione* ejusmodi eriſypelatum cooritur: aut eveniunt *ſtupidi*, aut *paralytodes*, partium illarum, aut conjugatarum, *torpores*, aut denique in aliis *oedematoſi*, in alteris *aridi* affectus & effectus.

XXXV.

Placet hujus rei exemplum producere. Fœmina 35. vel circiter annorum, corripitur febre tertiana, quæ poſt aliquam

lon-

longiorem durationem, tandem cortice Peruviano ſuppreſſa, iterum repullulans, iterum eodem modo cohibita, & tertia quoque imo quarta emicatione, iterum iterumque hoc more ſubacta, patientem & aliis valde moleſtis pathematibus obnoxiam reliquit, & *menſtruæ* inprimis evacuationis tanta ataxia correptam, ut ſingulis quidem menſibus illa emicaret, ſed poſteaquam paucas horas duraſſet, ſtatim iterum ſiſteretur, mox autem ſenſus acutiſſimus per longitudinem ſpinæ dorſi aſcendens, dolorem capitis excitaret nimis quam penetratiſſimum. Comitabatur ſtatim faciei non ſolum, ſed totius capitis valdè turgida *Eriſypelatodes* inflatio: dolor inprimis circà totum verticem, intus quidem vix tolerabilis, lancinando & ardendo, exterius autem exquiſitiſſimum gelu referens, ut patiens vix ambuſtis culcitris concalefieri valeret. Duravit hæc ſcena per multos menſes. Cum tandem juſta methodo atque medicamentis efficacibus, inprimis tempeſtiva venæſectione præmiſſa, denique cohibita eſſet hæc ataxia, ut nihil, præter alias quoque jam perceptas *arthritodes* vibrationes, *rarius* coorientes, ſupereſſet, menſes præcipuè juſtum ſuum progreſſum ſatis commodè ſervarent, factum eſt aliquando, per indomitam illam tonſorum temerarie αὐτιολογȣμένων ſtoliditatem, ut quum venam *in pede* attingere, repetitis ictibus non valuiſſet, fruſtra quæri diſcrimen proteſtatus, & dexterrime in *brachio* ſucceſſurum & ceſſurum eſſe negotium, promittens, auſcultanti tandem fœminæ in *brachio* ſecaret venam. Paucis poſt horis, inflatnr huic iterum facies, & antiqua ſcena adornari apparet. Quam formidans, cum conſilium cito expeteret, retunditur quidem conatus hujus impetus: habet tamen patiens ab illo tempore multis modis incommodius, quam ante hanc miſſionem. Proximo ſemeſtri in pedibus iterum ſuſcepta miſſione, aliiſque quæ neceſſaria erant adminiſtratis, tantiſper melius habebat. Accidebant interim non ſolùm aliquæ *arthriticæ* commotiones, ad quas inprimis etiam *hæreditaria* diſpoſitio ducebat: ſed etiam tam conamina quædam, quam effectus *hæmorrhoidalis* excretionis. Cum pa-

tiens per duos circiter annos ab exquiſitiore methodo abſtinuiſſet, ſuis conſiliis & opinione medicamenta hactenus uſitata diſponens; *inflatio* quidem illa non rediit, occupavit autem ejus locum exquiſitus capitis dolor, primò quidem obſcurius, revertentibus autem paroxyſmis, manifeſtius, *hemicranicus*, dextrum maximè latus obſidens. *Paroxyſmos* dico hoc loco, exacerbationes ter quater per annum coorientes, & per plures dies continuantes: Iterato recurſu; quem etiam tandem præcipiti quodam impetu ſuſcipiebant, adeo vehementem ut copioſum fluxum materiæ *limpidæ, acerrimæ, ex oculo* exprimerent, qui etiam illo dolore peculiariter torquebatur, ita, ut tandem in ipſum velut unice, univerſa vis mali incumbere videretur: & illud quidem tunc maximè pertinaciſſimè, cum *opiato* remedio doloris atrocitati conſulendum eſſe, illis viſum eſſet, qui talia magnifaciunt. At miſera patiens non poterat hinc amplius, à *perenni* hujus doloris in hunc oculum inſultu & ſævitia, iterum liberari, donec ſatis promptis progreſſibus, *perfecta, denſa*, imò *dura*, adeoque ipſam chirurgiam reſpuens, *cataracta*, enaſceretur. Neque vero etiam ab illo tempore, propterea conquieverunt impetus univerſi, niſi quod patiens ipſo damno cautior, decentibus atque certioris uſus *methodis* atque *medicamentis* (ubi etiam *ſcarificatio*, in ipſis quoque paroxyſmis commode ſuſcepta, non parvam utilitatem exhibuit,) poſthac auſcultans; ſi non ab univerſis ejusmodi paroxyſmis, à tali tamen, & tam immani *impetu*, ad *caput* & *oculos*, ſublevata, ſimplicioribus *arthriticis* inſultibus ſemel iterumque poſthac exercita fuit. Hanc quidem & ejus ſimiles percurare voluiſſe, nedum hodie velle, non dubitamus ἄπειρον pronunciare.

XXXVI.

Dixi jam ante de *flatulentis* affectibus. Placet unum verbum de illis addere, nempè quod *flatulentia* quantumcunque *habitualis*, & tunc quidem etiam vel *ſimpliciſſima*, ſemper, inprimis tamen in *annoſioribus* curatu difficillima non modo, ſed omnino potius ad ſanandum in idonea ſit. Ubi quidem jam

non

non æque fert noſtrum inſtitutum, practicum illum errorem perſtringere, quando hunc affectum *calidis aromaticis* medicamentis tractare vulgati moris eſt; ſuffecerit illud unum monuiſſe, quod omni prudentia cavendum ſit, ne *conſueta* flatulentia vel temere à patiente retineatur violentius atque diutius (unde graviſſimæ, *convulſivæ* etiam ſubinde, & *ſuffocativæ Colicæ*) vel patientis, aut improvidæ & alienæ medicationis, culpa, altiùs *ſurſum* ducatur: unde varia, variis profecto practicis ne ſuſpicione quidem ab hac origine deducenda, pathemata pullulant: utroque vero modo, & inſolita *ſchemata*, & inſoleſcentis pertinaciæ atque vehementiæ *novi* veluti affectus, tandem etiam *icterodes*, imo *aſciticæ* aut *hecticæ*, ſucceſſiones, quin *funeſtæ* cataſtrophes, ſuccedunt. Quid autem in hujus generis diſpoſitione poſſit intempeſtiva provocatio *Vomitus*, jubemus animum advertere, quibus eſt ſolertia.

XXXVII.

Neque verò etiam alii *decubitus ulceroſi*, poſtquam jam in habitum aliquem tranſierunt *manando*, ſtabilem curationem tam facilè recipiunt: in *annoſioribus*, & alias quoque phlegmatico-*cacochymicis*, & quibus ulcerationes tales, veluti ſpontaneo proventu ortæ ſunt, aut aliàs hinc inde oriri ſolitæ, tandem uno aliquo loco in ejusmodi *manantem* pertinaciam obfirmatæ ſunt. Tales enim ad *incurabilium* cenſum omnino ita pertinent, ut *funditus*, & ſine vicariis *perpetuis* præoccupationibus & interceptionibus, patientes tales infallibiliter in alios, communiter autem graviores, συζύγȣς affectus, prolabantur.

XXXVIII.

Si verò tam anceps eſt ac difficilis curatio etiam *externorum* ulcerum, à diuturno decubitu, aut diuturna manatione pertinacium, puto facile comparationem inſtitui poſſe, quid ſentiendum de *internis* ulceribus, *pulmonum*, familiariùs occurrentibus: *renum*, non quidem æquè familiariter, ſi evidentia intelligi debeant, non tamen ita admodum rarò, obvenientibus: *recti* profundè, & *coli inteſtinorum*, rarioribus: *ventriculi* aut ſuperiorum *tenuiorum* inteſtinorum, rariſſimis.

XXXIX.

Nihil dubito, & rationem teſtem citare, & experientiam, quod ulcera talia abſolutè *incurabilia* ſint. Ratio deſumere poteſt argumentum, à *generali* ulcerum *indole*: quæ etiam in illis locis, ad quæ & *operatio* manualis, & *applicatio* immediata remediorum, tota pertingere poteſt, non curantur, ſi paulisper inveteraſcunt, niſi abſterſione acriuſcula, ſubadſtrictione, &denique balſamicâ, inprimis reſinoſâ, medicamentorum efficacia. Quid verò horum obtineri poſſit in partibus adeò ab omni contactu remediorum longisſime remotis, ut neque ſubſtantia, nec energia medicamentorum, eo ſatis pertingere valeat, facile inde licebit colligere.

XL.

Accedit his rationibus, conſtitutio viſcerum ita affectorum, perpetuo tranſitui humorum unicè dicata, adeoque ſi continuitas illorum lædatur, perpetuis *exſudationibus* expoſita. Quem tranſitum quidem cohibere, ex aliqua parte, imo particula, impoſſibile ſit factu: *in totum* autem ſiſtere aut intercipere, ab omni ratione & bona ſpe abſolute alienum. Ubi etiam inanis profecto, & à ſana ratione nimium quam aliena, eſt perſuaſio, quod ulcerationes *traumaticis* plerisque omnibus cicurari poſſe, ſpes aliqua ſit. Cum nemo peritorum ullo vegetabili *traumatico*, *ulcera*, externa etiam, curare in animum induxerit, niſi ſolis *balſamicis*, quibus autem reliqua *ſubadſtringentia*, non niſi in ſubſidium *ſuccenturiare*, præmittere, aut jungere liceat, ſi ullum operæ pretium fieri debet. Sicut autem *balſamica acriora* reſinoſa, dum reliquo quidem ſanguini facilè & profundius miſcentur, ad particulam vero immediate affectam, quota quæſo ſui portione pertingunt, *febrem* interim *hecticam*, perpetuam ſimilium ulcerum comitem, utique ſemper ſenſibiliter exacerbant: ita *adſtringentia*, omni tempore citiùs & certiùs nocent: cum non uti balſamica, quantitate ſeu copia ſuà effectum ſuum edant; ſed pauca omnino quantitate, *motus conſtrictorios* & prompte & fortiter exſerant, & eo ipſo ordinarie, circa *viſcerum* affectus ſimiles

ſes male cedant. Qua de re conferri poteſt diſputatio ſub D. D. Præſide habita *de Phthiſi.*

XLI.

Ad eundem hunc cenſum abſolute pertinet, *Calculus renum*; utpote de quo certisſimé valeat fabula illa de *Siſyphi* Saxo: quandoquidem qui hoc ſaxum volvit, non minus perpetuo labore damnatus eſt, quam poëticus ille. Certè, quisquis *diuturniore* dorſi & lumborum dolore fatigatur, renum *ſabulum*, imò *calculos*, excernere adſueſcit, ille quidem vanâ ſpe lactabitur, ſi ullam inſolidum iterum evadendi, ſuſcipit.

XLII.

Mictus cruentus, quemadmodum quaſi magis *idiopathicè*, vix ulli hominum evenit, niſi *annoſioribus*; inprimis motu aut fluxu *hæmorrhoidali* tentatis, aut minus proſpere uſis: ita illius, in *ſenio*, *frequentior*, quantumlibet de reliquo *tranquillus* aut *tacitus* fluxus, fruſtra certè curatione plenariâ tentatur: Præcipue qualescunque, nedum ſtatas, *periodos* ſervans.

XLIII.

Præter hasce quaſi familias integras affectuum, ſi ordine *ſyſtematis totius corporis*, ſpicilegium adhuc per ſpecies quaſi ſingulariores iuſtituere placeat, à capite ad calcem decurrendo, merito ad claſſium hactenus perluſtratarum ambitum referimus, *calvitiem*, *canitiem* præmaturam, *ſtrabiſmum*, *viſus hebetudinem* à mala conſuetudine minus prope admotis oculis legendi, aut teleſcopiis indulgendi, inprimis uni vitro, germanis Fernglaß / item ſub exiguo lampadis lumine, nimis intenta oculi acie lectionem agitandi: *Guttam ſerenam*, & maximam atque conſtantem *dilatationem pupillæ*: *Cataractam* vel præmature tactam, vel jam nimium rigidam: antiquam *lippitudinem*: *Narium*, chronica ulceratione, in parte ſui cartilaginoſa arroſarum, reſtitutionem in integrum: *cariei dentium* inhibitionem: aſſuetæ *ſputationis* ablationem:

ble-

blæſitatis circâ litteras S. & R. vitium: antiquam *raucedinem cum aſthmate: aſthma* antiquum etiam ſine raucedine: deglutiendi vitia a *paralytode* ortu: *ſtatos vomitus* aliquot poſt paſtum horis, non tamen aſſumptorum, ſed mucidos potius, quorundam ſenum: *vomitum nigrorum* in acutis: *ſingultum* in acutis, in adulto ſtatu, aut ſub multo & perenni cardiogmo: habitudinem *torminoſam* à prima juventute, inprimis quibus alvus aliâs lubrica eſt: *hernias* inveteratas quaslibet: *procidentiam uteri* vulgò dictam, in habitum deductam: *impotentiam* virorum, vel à prima juventa, vel annoſiorum à quacunq; violentia: *Sterilitatem* foemininam, à multiplici abortu; aut inſuper ventre præturgido: communiter etiam à menſibus nunquam procedentibus: ſterilitatem ex parte *viri*, è juventute luxurioſa, & viribus inde præmaturè abſumptis, *deliteſcentiam* teſticuli: *fluxum album* annoſiorem, & annoſiorum: *annoſa ulcera* crurum: inveterata ulcera ſinuoſa & fiſtuloſa, *cum oſſium carie & feſtucis abſcedentibus*, inprimis foeminarum menſium vitia prægreſſa paſſarum: *urinæ incontinentiam*, tum alias paralytodem, tum à puerperio male adminiſtrato.

XLIV.

Horum certe omnium ullam bonam ſpem curationis concipere irritum eſt, & ſi ullum exemplum in contrarium allegatur, non ſolum velut inaudita raritate tale quiddam contingere certiſſimum eſt, ſed vix unquam caret ſuſpicione, quod vel vera ejus *ſpeciei* quæ nominatur, conſtitutio non fuerit: vel minimè vere & *in ſolidum* facta ſit *reſtitutio*. Quod ultimum inprimis merito tanto magis dubium ſemper manet, cum in totâ doctrinâ Medicâ nusquam adhuc occurrat ulla debita conſideratio, *mutuæ dependentiæ atque conſecutionis* morborum, cujus aliqualem diatypoſin dediſſe ſe putat D. Præſes, tum alibi poſſim, tum inprimis diſputatione *de fundamentis morbor. ætat.*

XLV.

Placet harum rerum exemplum, quod etiam Diſputatione *de ſangviſugis* allegatum eſt, huc referre. Vir 40. annorum

qui

qui in juventute ſua vino Hungarico & Auſtriaco uti con-"
ſueverat, ad quæ, interpoſito per aliquot annos potu cerevi-"
ſiario nominata hac ſua ætate reverſus, illis indulgentius ute-"
batur per dimidium annum, imo amplius: denuo hinc ad"
cerevisiam remiſſus, & vitam inſuper ſendentariam, corri-"
pitur iſchiade, non ſolum per ſe admodum vehemente, ſed"
mox à coxis ad genua, & inde ad pedes, ſuccedentibus repe-"
titis invaſionibus etiam ad manus ſeſe diffundente. Exagita-"
batur hac podagra, gonagra, iſchiade, chiragra, per quatuor"
propemodum annos repetitis inſultibus in tertiam, quartam"
ſeptimanam ſævientibus. Anno circiter 44. ita deſinebat,"
ut ab illo tempore ad annum usque ætatis 78., quo ad tres"
forte menſes usque abſoluto mortuus eſt, nullam usquam do-"
lorem amplius percepit. Quis non credat hunc à *podagra* cu-
ratum fuiſſe? Neque hoc nos ipſi negamus: ſed non *ſanatus in ſolidum* fuit. Liberatus enim eſt à *podagra*, coorto, & poſthac *ſtatis ſucceſſibus continuato fluxu hæmorrhoidum*, ad cujus placidos progreſſus, plurimum contulit tranquillum vitæ genus quod poſthac ſibi elegerat, & diligenter cuſtodiebat. Evenit ipſi tamen verſus annum 70. duplex circa pedes incommodum; nempe primò *calloſitas* quædam moleſta in plantis pedum, clavorum in digitis pedum æmula: ſecundò *poplitum* quidam rigor, ut ſine ſenſibilibus incommodis ſcalas aſcendere non valeret. Ita nempè ſatis apparere confido, *compenſationem* hanc podagræ, pro abſoluta ejus curatione vix ab ullo agnitum iri. Si enim *hæmorrhoides* neglectim habitæ male ceſſiſſent, vel alia adhuc magis ſontica mala, vel ad minimum directe, *Iſchiadem* & podagram, certiſſime revocaſſent, cujus rei inter alia alterum luculentum exemplum memorare placet.

XLVI.

Juvenis 27. annorum phlegmatico-ſanguinei habitus, ex
potu vinorum Thuringicorum ſpirituoſiorum ſub vita mul-"
tum ſendentaria, arthritidem incurrit, admodum vehemen-"
tem. Cum variis modis & methodis nihilominus ſubinde re-

 cru-

„crudeſceret, tandem emanſit, coortis tandem circa annum „ætatis 30, *hæmorrhoidibus, largis,* imo ferè *continuis.* Cum „patiens vitæ genus inſigniter mutaſſet, & aliò quoque fami„liam transportâſſet, quin etiam fluxus *nimius* apparens me„dicationem patienti perſuaſiſſet, ſubſtiterunt hæmorrhoi„des. Pauciſſimo poſt tempore, *dextræ coxæ & femoris* & do„lorem & inſignem rigorem incurrit patiens. Neſcio quibus „autem remediis tractatus, in magnam anguſtiam, & abdomi„nis inflationem, mox etiam in *mictum cruentum,* incidit: „quo per abſtringentia tractato, pedum oedema & aſciticam „ventris intumeſcentiam expertus eſt. Tandem revocata e„vacuatione hæmorrhoidali, non ſine reliquo vacillantis vale„tudinis incommodo, annum adhuc vixit, ubi febre epide„mica, petechizante correptus, & omnibus tolerabiliſſime „ſuccedentibus, die ſeptimo, in nudo induſio per integrum „horæ quadrantem in frigido cubiculo, menſe octobri & tem„peſtate pluvioſa, ſella ad alvum deponendam inſidens, à refri„geratione hac mox lipothymia correptus eſt, poſtquam hinc „in lectum deportatus, omnium virium repentinam jacturam „incurrens, animi inſuper graviſſima conſternatione acceden„te, poſt ſex horas exſpiravit.

XLVII.

Accedimus tandem ad *tertiam* noſtri cenſus *Claſſem,* nempe affectus ita incurabiles, ut etiam *mitigationem* rariſſime commodè ferant, in ſe autem conclamatæ ſint ſpei. Sunt tales *Apoplexia* profundior; *Hemiplexia* quælibet profundior, inprimis autem *annoſiorum, debilitatorum,* aut *ebrioſorum: Paralyſis* cum ſenſus & motus perfecta ſublatione, inprimis ſub modo dictâ patientium indole. *Fatuitas* cum lingvæ *paralytode* difficultate, inprimis *ebrioſorum. Gutta Serena* citò coorta: quin etiam perennes obverſationes macularum exiguarum antè oculos, quamvis hæ non æque periculum peculiare augeſcendi denuncient. *Diſtorſio oris,* à muſculi maſſeteris oppoſiti prægreſſa ulceratione penitiori, & facta eroſione. *Paralyſes particulares* omnis

omnis generis, *annoſiores* & *annoſiorum*: *Cancer occultus*, antiquior & paulò profundior; *ulceratus* etiam ſimilis talis indolis: quandoquidem etiam *ſectio* rarò in integram ſanitatem ita affectos reſtituit. *Sphacelus omnis*, quicquid illo revera corruptum eſt, incurabile & *irreparabile* reddit. Ita etiam partium ſolidarum, poſt gravem diſtorſionem cum *fractura*, *ruptura*, *ulceratione* profundiſſima, *muſculorum aut tendinum exeſione*, aut per magnas violentias, *morſus*, *globos* tormentorum &c. diſſipationes: à talibus, inquam, prægreſſis & conjunctis cauſis ortæ membrorum cum qualicunque diſtorſione, *aridura*, *atrophia*, *motuum impotentia*, non percurantur. *Ani fiſtula* exquiſite ſecundum inteſtinum rectum; *Perinæi* quoque fiſtulæ utræque, inprimis autem hæ, *diuturnæ*, &c.

XLVIII.

De ablatione, aut penitiſſima depravatione integrarum organicarum partium dicere, ſupervacuum ſit, ut oculi *exareſcentia*, *portionis lingvæ* abſciſſione, aut *narium*, &c. Cum Tagliacotiana methodus facilius cerebro quam operationibus peragatur: unde etiam meritò à balneatoribus deridentur homines, quibus vulnus aliquod profundius valde dehiſcens, exciſionis alicujus particulæ ſpecie imponit; promittendo, ſe agglutinatione fruſtuli carnis gallinaceæ illud expleturos.

XLIX.

Omnia nempè talia, non modo nullam reparationem in integritatem admittunt; ſed nec ullam quidem veram atque ſolidam *mitigationem*: Facillimè autem potius *irritantur* aut *exacerbantur* quibuslibet remediis. Unde quidem tandem conſiderationem hanc incurabilium morborum obſignabimus, declarando verum uſum practicum, qui ex illa reſultare debet.

L.

Eſt hic autem duplex prorſus eximius. Primo enim & ſibi rectè conſulit Medicus, ſi meminerit quid de ſolida *percuratione* patientis, verè ſibi & patienti pollicere ſit integrum. Et

de patiente rectisſime meretur, imo illi proſpiciendo, ſibi quoque proſpicit, ſi huic cordate prædicat, in quo ſtatu res ejus ſint poſitæ. Adeoque non ſolum ipſe abſtineat à frivolis tentaminibus, imprimis amethodicis: ſed patientem etiam dehortetur, ne ſtatum illum in quem ſemel devolutus eſt, immodeſtè ferendo, denuo in graviora pericula ſeſe conjiciat, futilium hominum imperitis temerariis tentaminibus ſeſe permittendo: aut ad minimum pecuniarum ſuarum frivolam ita jacturam faciat.

LI.

Primo autem operæ pretium ingens faciet, ſi verâ genealogiâ talium affectuum agnita eo impendat operam, ut veris methodis, quicquid *planè tollere* non licet, *minuere* ad minimum, *mitigare*, & niſi quidem totum, tamen præcipuum impetum ſiſtere, aut præcidere, ſibi obtingat,

LII.

Solidisſimè vero talibus patientibus conſulet, quando è graviore horum generum incommodo, ad mitius genus patientem ſuum reduxerit; ad quod negotium iterum vera ſcientia, genealogiæ & affinitatis atque conſpirationis morborum neceſſaria erit.

LIII.

Eodem intuitu rectè conſulet conſcientiæ ſuæ, quando patientibus ejusmodi non modò non Author erit, profundendæ ſuæ pecuniæ in perpetuas irritas multiplices medicamentorum variorum coëmptiones: ſed illos potius ab ea re dehortabitur, & *tempeſtivis* ſolum *paucioribus* medicamentis, inprimis autem *methodis*, ipſis proſpicere cordi habebit. Ita certè agendo, quicquid vere & efficaciter fieri poterit, ſub divina benedictione obtinebit: quod fieri non poteſt, aut periculum inſuper parturit, præmonuiſſe, maturam atq; ſolidam laudem ipſi pariet.

LIV.

Quantamlibet enim plerique patientium minus æquo animo

animo talia audiant; quantumcunque etiam prudenter negotium ipſis proponatur, commonſtretur, atque commendetur: Honeſto tamen viro, ſolidæ ſcientiæ & bonæ conſcientiæ compoti, tanti non erit imperitorum hominum indignatio, temerariorum etiam aut fraudulentorum blateronum, & captatoriorum pollicitatorum calumnia, promiſſionibus promptioris & peritioris curationis individua comes; ſed immenſum quantum honeſtius ducet, expectare ſuffragium temporis, quod communisſimè patientibus, tandem, aliquando etiam ſatis mature, extundit illud, nunquam ſine indignatione in tales pollicitatores, ſæpe etiam non ſine gemitu, reſonans: Hätte ich doch dem ehrlichen Mann geglaubet und gefolget / der mir ſchon vorlängſt vorher geſagt hat / das ich ſeither nur all zuwahr befinden muß / ſo hätte ich nicht nöthig gehabt / mich vor die lange Weile ſo lang und viel mit allerhand Artzneyen zu martern / ſo viel Geld umb nichts und umb ſonſt dahin-zugeben: ſæpe etiam pro circumſtantiis: ſo wäre ich in gegenwärtigen völligen ruin meiner Geſundheit hoffentlich nicht gerathen. Nempe valet etiam hic illud Senecæ, quod ſera ſit in fundo parſimonia, cum ibi non ſolum minimum remaneat ſed ſæpe etiam peſſimum.

LV.

Sicut autem paulo antè, *incurabilium* quæcunque ſupereſt cura, nempe *ſublevatio*, *mitigatio*, *præoccupatio*, partim medicamentis, partim autem juſtæ methodo aſſignata à nobis eſt; ita poterit à nobis expectari, ut etiam de iis rebus aliquanto preſſius mentem noſtram explicemus. Hoc priusquam *poſitive* faciamus, placet *privative* præmonere, quid ab hoc inſtituto alienum ſit, è communi uſitata hodie methodo. Nempe, cum præcipuam ſpem circa morbos incurabiles collocaverimus in *mitigatione*, cavendum eſt, ne quis nos intelligat de *opiatorum narcoticorum* uſu. Tantum enim abeſt, ut hujusmodi remediis *mitigatio* hujus indolis morbis conveniens præſtetur, ut potius vel minimum indiſcreto illorum uſu, affectus tales ab omni ulteriore mitigatione penitisſime abalienentur

 per-

pertinaciſſimi & cuicunque meliori methodo poſthac undiquaq; *intractabiles*, reddantur: quando vero augeſcenti pertinaciæ etiam auctiores doſes *narcoticorum* opponuntur, tunc *hydropes, hecticas, maraſmos, paralyſes, apoplexias*, aliquando etiam præcipitem interitum impendere, certiſſimum eſt.

LVI.

Univerſa itaque mitigationis per medicamenta ſpes hæret, in humorum æquè, atque partium earumque ſenſationis *contemperatione*: Qualem jam per modicum uſum *abſorbentium*, jam *diſcutientium*, jam *diapnoicorum*, jam *nitroſorum* atque *cinnabarinorum*, impetrare datur.

LVII.

De *ſpècificis* remediis eſſet certe optandum ut plùs dicendum ſuppeteret; quandoquidem in illorum tempeſtivo uſu, plus quam ullo alio remedii genere, ſpei collocare licere, illorum quæ cognita ſunt, efficacia promittit. Cum autem non ſolum ingens horum quoque ſit penuria, ſed etiam inaniſſimarum ſpeculationum cacöethes, ne quidem veritatem nedum efficaciam talium remediorum hactenus in animum ad miſerit, commendandum eſt hoc negotium Deo atque diei, & notioribus interim acquieſcendum.

LVIII.

Neſcio verò an bono jure notiorem dicere poſſim, notabiliorem certè dicere poſſum, methodum illam, qua affectibus, pro mutua ſua *dependentia*, & in aliud *ſchema* tranſeundi proclivitate, per *vicarias* quasdam, *tolerabiliores* tamen, *ſervitutes* ut vocant, *gravioribus*, *importunioribus* vehementius in ſoleſcentibus talibus inſuperabilibus affectibus commode conſulitur. Habet in hoc negotio ſi non omnem, certè tamen ſummum uſum, *ſangvinis miſſionum*, aut *ſpontanearum* etiam evacuationum, perita atque dextra ſubordinatio: quibus per initia *proclivitas*, poſthac vero etiam *levitas atque facilitas*, tandem *ferocia & impetus* erumpendi & reſurgendi, præoccupatur.

LIX.

Unde quidem his nominibus maximi uſus & efficaciæ ſunt tem-

tempeſtivæ *Venæ ſectiones*, inprimis pro varia ſpe præſervandi aut mitigandi, jam in locis *connexis*, jam in diſ[illegible] pro re nata *ſubordinatis*, inſtituendæ: ſicut etiam *ſcarificatio*, non pœnitendum ſubinde uſum præſtat, teſtantibus obviis variis exemplis. Tantò magis autem, ſi jam alias *aſſuefacta*, poſteà neglecta ſit: ubi familiariſſimis exemplis patet, quod ſi vel maximè nulla urgente neceſſitate aſſuefacta ſit, inprimis *ſcarificatio*, tamen in poſterum pariter temere iterum *omitti*, vix unquam ſine ſenſibili detrimento poſſit. Quæ res profecto, ut in turbulentas, aut otioſis opinionum nugis indulgentes mentes non ingreditur, quibus omnia hic nimium quam ſecura videntur: ita certe attentis ad rerum ſucceſſus, perpetuas repullulationes, imo aſperiores depravationes, inferre, quotidianis exemplis quam notiſſimum eſt, aut facile certe fieri poteſt.

LX.

Spontaneæ evacuationes maximi in his generibus momenti, ſunt inprimis *menſium* & *hæmorrhoidum* negotia. Quantum hæc utraque, ſi illa turbari contingat, difficillimæ curationi, imo *incurabilibus* variis affectibus, occaſionem præbere poſſint, jam ſuperius ex bona parte indicatum eſt. Vnde quidem tanto meliore jure colligere licet, quod *expeditio*, & qualiſcunque *ſublevatio* harum evacuationum, ingens in hoc genere commodum & ſalutarem effectum afferre, omni modo poſſit.

LXI.

Sicut autem *menſium* aberrantium, communiter longe expeditior eſt, in libris quam in lectis, reſtitutio in integrum: ita quid de *hæmorrhoidibus*, recte, ordine, ſalutariter, conſtituendum ſit & agendum, quod etiam non opinioni, & inani conſultationi, ſed affectui reſpondeat atque ſatisfaciat, cujuslibet peritiæ atque dexteritati commendandum eſt. Abſtinebit autem quilibet peritus, ab ejusmodi methodis atque remediis, quibus ſanguis *generalius commotus*, non tam ad exitum, quam ad *turgeſcentiam*, & illos maxime qui præcaveri debebant, tumultus, exſtimulatur: quale quid *crocus*, *aloë*, *myrrha*, *ſuccinata deſtillata*, *ſalia volatilia urinoſa*, eli-

elixiria oleoſa aromatica, ſud[illegible], & pleraque alia *emmenagoga* activiora, abunde efficiunt.

LXII.

Spero autem cum D. D. Præſide (diſputatione *de podagræ nova pathologia*,) poſteritatem inprimis ſolertiorem experturam eſſe, quid ad hujusmodi negotia, commodi & uſus expectare liceat, à perito uſu *hirudinum*, pro *hæmorrhoidali* negotio ad bonum ſucceſſum ducendo, vel etiam aliis depletionibus in hoc genere obtinendis.

LXIII.

Sanè vero uti hoc, *hæmorrhoidum* inquam, negotium, vel antiquiſſimo jam teſte *Hippocrate*, varios pertinaces morbos diſcutit, *ſuperveniens*; præſervat, *præcedens*: parturit, *deficiens*: ita illud ipſum commodo *ſucceſſui* redditum, ingentis ſemper ad *conſervandum*, *præſervandum*, atque *reſtituendum*, efficaciæ eſſe, nihilo magis dubium eſt.

LXIV.

Menſes autem muliebres, ut alias quoque variis horum affectuum generibus viam ſternere ſolent, ita magis quam unquam alias *obfirmare* hos depreheduntur, ultima ſua *ceſſatione*. Tunc enim affectus horum generum, qui junioribus adhuc tolerabiliores, aut ſpei devincendi adhuc quantumcunque propiores fuerant, in ſolidum ab omni bona ſpe decidunt, ſed gravioribus ſucceſſibus veluti *certis*, indies magis appropinquant, quando *artificialis* compenſatio atque ſupplementum, inſuper habetur.

LXV.

Ita etiam denique *fonticulorum*, aliquando *tentandorum*, *veſicatoriorum*, imo *ſetaceorum*, *balneorum*, quin *thermarum repetiti* prudentis uſus, aliqua interdum hinc inde ad hos etiam affectus eſt efficacia: Et ſane major, ad haſce *mitigandi*, quam ullas *è fundamento* ut loqvuntur, *curandi*, intentiones.

S. D. G.

GEORGII ERNESTI STAHLII,
MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINAR.

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

AUTORITATE ET VERITATE MEDICA.

QUantum res mortalium à vera atque ſolida felicitate aberrent, inter alia multa inſignia documenta ex eo etiam elucet, quod non ſolum à veritate plurimum abhorreat animus humanus, ſed à ſe ipſo usque diſſideat, neque ſui ipſius veram conſiderationem ſive ſatis prompte agnoſcat, ſive ſatis memori mente teneat, ejusquerecordetur. Certe enim miſerum eſt indies audire, rationem humanam de ſe ipſa τραγῳδεῖν, magnificè loqui & ſentire, ſuamque, ut loquuntur, infallibilitatem & ab omni errore integritatem, in prorâ, quod ajunt, & in puppi, conſtituere. Inde enim eſt, quando indigne ferens, errores in Vitalibus negotiis ſibi imputari, ſe in ſui teſtem producit, pulcherrimo illo argumento: non eſſe ſe, quæ iſta agat; ſi enim ipſa ageret, nihil per errorem actum iri: quandoquidem contradictio in adjecto ſit, errare, & rationem eſſe. Simplicem autem illam, dum non ſolum judicii ſui, ſed prorſus memoriæ obliviſcitur! quod profecto facit, dum non meminit, illorum ſui, uti vocant circumſpectiores, pathematum, quibus ipſa, maximam partem propria ſua culpa unicâ, nudo æſtimationis actu, adeo aberrat, ut non ſolum male intelligat, & aliam ſibi rerum faciem fingat, quam re ipſa ſit; ſed etiam voluntate jam ancipiti, jam præcipiti, utrinque tamen communiter pertinaci, nec veritatis agnitioni promptius auſcultante, hunc ſuum errorem non proſequi ſolum, ſed exequi prorſus inſiſtat. Tanto minus mirum eſt, ſi à Veritatis amore, imo impetratione, aberret, hac eadem πάθους ſui culpâ; dum impatiens conquirendarum omnium circumſtantiarum, ſibi fidens ac præſumtuoſa, temere ad concluſiones tanquam veras præfeſtinando, neceſſario aberrat: imo vero familiari hoc properandi habitu, operoſiorem comparationem faſtidiendo, eo ipſo veritatem ipſam faſtidit. Inquieta nempe eſt mens humana, multitudini rerum, & deſultoriæ hujus luſtrationi, imminens: Divinitatis ſapientiam atque Potentiam, &

in-

ineffabilem illam, ſemper, recte, & bene agendi perennitatem, inani inquietudine, & ſciola intelligendi atque deprehendendi procacia, abſurde æmulans: ante omnia ordinatiſſimam illam in agendo conſtantiam, Divinam, præ multitudinis & promptitudinis affectatione, imo potius ſuæ capacitatis defectu, confuſione, & præpoſtera turbulentia, neceſſario amittens, eaque ſe fruſtrari coacta. Cum enim veritas una ſit, eoque ipſo neceſſario ſimplex; aditus autem ad illam, à poſteriori utique quærendus, per ambages multiplicitatis demum, & non aliter, attingi poſſit: contingit utique humanam mentem non ſatis illam aſſequi, tum impatientia laboris, & operationis atque continuationis aſſiduæ; tum exoſæ ſibi tandem ſimplicitatis, in ultimo ſui effectu inveniendæ, cum ipſa nihil niſi ſpecioſa æſtimet. Puto vero adhuc unam, nec illam quidem ſive ordine, ſive dignitate poſtremam, ſubeſſe cauſam, quæ ab aſſequenda veritate humanam mentem præpediat, & in figmentis ſuis vanam fieri cogat: odium nempe inimitabilis efficaciæ Divinæ, in inſtruendis potentiis motricibus à priori: cum humana omnis induſtria nihil quicquam poſſit, niſi hic etiam longiſſimo intervallo ſequi, & craſſiores ferè illarum potentiarum, precario uſu tentare, ſi vel leviſſima quædam ex innumerabili quantitate Divinorum operum imitari geſtiat. Non placet jam in illam conſiderationem excurrere, quemadmodum indomita polypragmoſynes affectatio, ex hoc maxime capite humanum ingenium ſeducere potuerit, ad quærendum ſibi auxilium & obſequium, potentiarum activarum à priori, ut divinam agendi potentiam aliquo modo æmulari valeret; unde nempe non ſolum à priori, omnibus hominibus communis ingens admiratio & æſtimatio, ſed etiam à poſteriori, ſciolorum ingeniorum etiam affectatio, Magiæ, ortum trahit. Illud autem ſatis certum eſt, totum fere animum, magis, imo unice propemodum, propendere, ad fingendos ſibi ejusmodi conceptus de Divinis in natura agendi methodis, quos qualitercunque cum miſeris ſuis artificiorum luſibus comparare, aut quâcunque ratione, ſub confuſiſſima etiam iſtorum idea, ad minimum tanquam memoriali quodam ſigno, memoriæ ſuæ conciliare valeat. Sicut autem hujusmodi conceptus circa res etiam

 iam

iam morales non parva ſubinde offendicula gignit, dum imperſcrutabilem Divinitatem ejusque actiones, humanorum reſpectuum modulo metiri uſus fert: ita in rebus phyſicis ſi unice magis à priori inſtituatur conſideratio, ſterilem prorſus atque mancum ſuppeditat de rebus naturalibus conceptum: ſi vero à poſteriori unice negotia perpendantur, etiam falſum. Erraverunt priorem ex his errorem ipſi jam Veteres, aut ſane mediorum ævorum ſcriptores, dum omnium effectuum cauſam, nullam aliam niſi immediate potentiam talem, facultatem vocant, ποιότητα, faciendi & agendi vim, allegaverunt. Cum organicam etiam aptitudinem, quam ſimul allegare debuiſſent, velut in univerſum ſilentio præterirent, fieri certe non potuit, quin ea ratione non tam confuſus, quam potius revera nullus conceptus, inde remaneret, ſed non niſi unus generaliſſimus ille naſceretur, fieri hæc omnia immediate & abſolute ita, uti fiunt, & effici à talibus agentibus, quæ ita efficere poſſunt. At poſteriores in alterum extremum dilabentes, cum confunderent neceſſitatem agendi per organa, & neceſſitatem agendi ſecundum organa, utramque generaliorem; cum necesſitate agendi propter certum effectum, & proportione agendi ſecundum illum ſcopum, iterum in varios ſcopulos impegerunt, & à veritatis cynoſura aberrarunt. Natæ hinc ſunt opiniones illæ de exiſtentia corporis organici propter ſeipſum: de nullo commercio aut nexu rationis cum vita, imo ſenſu: de ſenſuum negotio etiam ſine relatione ad rationem, per & propter ſeipſum; de necesſitate materiæ in genere, non ſolum ad reſtringendos, ſed abſolute provocandos actus: de materiæ in univerſum indito atque inſito proprio, non aſcititio, transmiſſorio, tranſitorio motu, id eſt, vera Ariſtotelis natura, vero autem ſenſu, Anima, omnibus & ſingulis rebus naturalibus competente &c. Hæſit huic poſteriori hypotheſi ulterior adhuc, ſane vero concatenata difficultas, ut hiſtoriæ rerum, ſecundum illas præconceptas opiniones, pasſim, alibi mutilarentur, alibi mutarentur; quod quidem tanto facilius fieri contigit, quando ibi etiam ubi tamen certo aderat, nulla ratio habebatur certi finis atque ſcopi, propter quem non

ſolum

ſolum tota actio ſuſcipiatur, ſed etiam ea proportione qua fini propoſito quadret, geratur & abſolvatur. Aſt vero ſi utiq; aliqua obtineri debeat certitudo veritatis, non ſolum in una, ſed ſane etiam in unaquaque rerum naturalium ſpecie, abſolute opus eſt, ut vera ipſius hiſtoria recte cognita ſit, neque illi ſive addatur quicquam, ſive detrahatur, aut omittatur. Hac ratione ſi agitur, præſto eſt ad minimum una ſtatim hiſtorica Veritas, facti ipſius. Huic ſi preſſis veſtigiis comparationes, ſeu rationes, ſed ſolidæ tamen illæ & vero nexu ſibi conſtantes, adhibeantur, fieri non poteſt quin diluceſcat, quid inde in univerſum cognitióni humanæ pateat, quidve illam ſubterfugiat & fruſtretur. Harum autem Veritatem inveniendi methodorum, duplex eſt, & ſane diverſa ratio. Prima enim, hiſtorica veritas, directo magis ſenſuum atque memoriæ teſtimonio ſubnixa, parit fidem ut loquuntur: nempe hiſtoricam. Poſterior autem ſcientiam ſuppeditat, neque jam memoria, ſed judicio nititur: non annotatione, ſed comparatione, & plurimarum quidem, circumſtantiarum. Harum rerum diverſus etiam, ut ipſæ diverſæ ſunt, eſt effectus. Prior, hiſtoricæ veritatis annotatio & firma atque conſtans experientia, gignit Autoritatem: poſterior ſuppeditat demonſtrationem, cauſarum, inquam, intellectum: prior Experientia nititur; poſterior Scientiâ abſolvitur: ille memoriam, hic judicium pro fundamento habet. Licet autem poſterior ſine priore ſubſiſtere non poſſit, prior autem ſine poſteriore facile exiſtat, neminem tamen fallere poteſt, utrius priores ſint atque majores partes, in ordine ad uſum rebus humanis præſtandum. Sicut autem nullam vidêo rationem, quam ob rem in hujusmodi conſiderationem diffundi neceſſe ſit; ita ſatis tamen eluceſcet, quod quidem, Autoritati veræ, ſeu conſtanti experientiæ, non minor debeatur laus, quam ipſi comparationi ſeu rationi, cum hæc ſine illa ſubſiſtere, imo exiſtere non poſſit. Interim maxima omnino opus eſt cautione, ne etiam in rebus his ſibi mutuo ſubordinatis confuſio aliqua committatur, & alteri, quæ alterius ſunt partes, permittantur. Reciproca autem omnino hic eſt communium finium ſanctimonia, ut ex neutra parte licentiæ mi-

grandi locus pateat. Abſonum enim ſit, ſi Authoritas cum ſua nuda memoria, ſcientiæ deductiones ſibi ſumere ſuſcipiat: Non minus autem irritum, ſi ſpeculatio ſine experientia ſolida rerum vere exiſtentium, ſuppoſitionum figmentis indulgendo, aliquid inde in rerum naturam inferre velit, quod illi non inſit. Sicut autem hoc intuitu, unaquæque harum rerum, experientia inquam & ratio, habet in quo non ſolum occupetur, ſed etiam laudetur: ita ſterilis omnino eſt imperitia & inſcitia utrarumque verorum limitum, atque adeo perverſus illarum uſus. Saltem illud uſui eximio fuerit, in neutra harum rerum feſtinare aut præcipitem ſe gerere. Nempe nec hiſtoriam temere texere, veris rerum circumſtantiis nondum affatim perſpectis: neque, hiſtoria non ſatis & abunde nota, & omnibus rei circumſtantiis conſentientibus, non ſolum ad ſubſumptiones, ſed omnino concluſiones feſtinare, niſi quidem univerſus labor irritus eſſe debeat. Poſſet quidem ex hiſce jam diluceſcere, quid fieri debeat: niſi illa quam in ingreſſu hujus diſcurſus perſtrinximus, humanæ rationis debilitas, & impatiens præfeſtinatio, vel non poſſet communiſſime, vel non vellet, intra limites ſeſe continere. Factum ipſum notiſſimum eſt, adeoque certiſſimum. Uſurpatur hinc inde experientiæ authoritas perperam, ad nexus demonſtrationum ſcientificarum ſtabiliendos. Sæpiſſime quidem alienisſimo modo. Nempe quando dicitur, homines in numeroſa praxi conſtitutos locuplete experientia pollere. Ubi certe vel mediocriter intelligenti facile ſuccurrerit diſtinctio, inter occaſionem experiendi, & induſtriam atq; animi adverſionem, imo habilitatē ingenii, ad experiendum, obſervandū & obſervationum, conſtantiam attendendum. Minime omnium autem à quocunq; prudente homine, numeroſa praxis, qua talis, & ſuo ipſius intuitu, ad Theoriæ ſolidam & vere ſyntagmaticam probationem allegatur. Cum non ſolum numeroſa, ſed omnino ne quidem ſatis felix praxis huic argumento ſufficientem nervum atque nexum ſuppeditet. Satis inquam felix, ad minimum apparens, aut in præſens talis: Non autem æque conſtans, & in futurum quoque atque diuturnum ſeſe extendens. Cum enim hodierni mores etiam fraudem invenerint

nerint, imo vero, uti mali ſunt, avidiſſime amplexi ſint, affe-
ctus inprimis impatientiæ ægrorum moleſtiores, fuco obli-
nendi: cujus ope imperitis perſuadeatur, curatum eſſe patien-
tem, qui miſere ſolum dilatus ſit: quoque modo certe ca-
vendum eſt, ne hujus generis felix praxis improvidis impo-
nat, & ad abſurdas etiam theorias, ſub otioſa tali praxi larga
ſegete naſcentes, tanquam è tripode profectas, ſeducat.

Poteſt huic rei aliquam lucem fœnerari conſideratio ve-
ræ atq; ſolidæ curationis, vel ex adverſo nudæ dilationis, pallia-
tionis, aut ad ſummum mitigationis, multorum, neque profectò
levium morborum: quam pro themate inaugurali ſibi ſumpſit

DN. CHRISTIANUS MEISNER, Lignitio-Sileſius,
MEDICINÆ CANDIDATUS DIGNISSIMUS.

De cujus honeſtis natalibus, vita pie probeque acta, ſtu-
diisque vigilanter atque ſolerter, undiquaque verò di-
ligentiſſime actis, ut publico conſtet, more minime temnen-
do præcipua ad hoc argumentum pertinentia commemorare
erit integrum. Natus eſt Lignitii, patre ADAMO MEIS-
NERO, cive illius urbis honeſtiſſimo; matre fœmina iti-
dem virtutibus ſuum ſexum decentibus ornatiſſima, ANNA
MARIA, viri quondam doctrina multiplici clariſſimi, DN.
JOACHIMI PRÆTORII, filia. A prima pueritia
pietati, probitati, & bonis litteris totus dicatus, in ſchola
quidem patria fideliſſima informatione DN. HERMANNI,
& DN. M. MAYWALDI inſtitutus, tandem Uratislavi-
am miſſus, in florentiſſimo gymnaſio, præcipue celeberri-
morum Virorum, DN. GRYPHII & DN. KUPFENDE-
RI dexterrima doctrina eò eruditionis pertigit, ut altiori-
bus ſtudiis maturus videretur. Wittebergam itaque adiit, &
parentum voluntate Theologico ſtudio dicatus, illic Ex-
cellentiſſ. Virorum, DN. D. WALTHERI & DN. D.
LOESCHERI collegiis ſtrenuam operam navavit: Cele-
berrimi quoque SCHURTZFLEISHII commentationes
juris publici ad Bœcleri notitiæ Imperialis ductum cum in-
duſtria percepit: tum etiam poſt aliquot annos Lipſiam pro-
greſſus, Celeberrimorum ejus etiam loci Doctorum CAR-
PZOVII, SELIGMANNI, SCHMIDII, ITTIGII, RE-

CHEN-

CHENBERGII, gnaviter uſus doctrinis, eo eruditionis pervenit, ut Eccleſiaſticis officiis parem ſe atque paratum exhibuerit, ſpeciminibus concionatoriis, multiplici non experimento magis quam uſu, imo fructu non pœnitendo, præſtitis. Cum autem & à juventute ſua, quamvis chariſſiorum parentum arbitrio haud gravatim obſequeretur Theologici ſtudii cultu, Medicinæ tamen præcipua exiſtimatione atque æſtimatione gaviſus eſſet; & eo maxime tempore, quo ſtudia ſua ad optatum uſum transferre conveniret, coorientibus variis valetudinis detrimentis, ejus generis officiis imparem ſe judicare cogeretur: denuo ad medicam artem animum adjecit, cui etiam Witteb ergæ, Excell. DN. D., VATERI phyſica dogmata avide hauriendo, jam præluſerat. Toto itaque animo ad hanc hic Halis converſus, Excell. HOFFMANNI experimenta phyſica atque chymica, æque ac profeċtiones aliquot Anatomicas, aſſidue audivit: mea vero inſtitutione in Phyſiologicis, Pathologicis, Therapeuticis, Praxi clinica, cum omni induſtria uſus eſt. Imo aliorum quoque Medicorum ope atque ſtudiis ad ulteriorem eorum quæ comprehenderat exercitationem adjutum ſe eſſe profitetur. His rebus cum tres, & quod excurrit annos ſtrenuo ſtudio impendiſſet, ad ſuos reverſus, Grunbergam Sileſiorum adiit, ibique praxeos exercitio vacavit, in qua re cum fauſtos ſucceſſus ex voto experiretur, poſt ſesquiannuum & quod excurrit ſpatium, impetrandis privilegiis & honoribus Doctoralibus animum adjicit. Stitit ſe itaque Collegio noſtro, cumque rogatu ſuo admitteretur ad examina conſueta practica, nam tentamini primo jam ante abitum ſuum egregie ſatisfecerat, peritiæ ſuæ circa indolem atque tractationem morborum ſpecimen exhibuit egregium. Supereſt ut publicum exhibeat documentum Diſputatione ſolenni de AFFECTIBUS INCURABILIBUS. Habebit illam proximo XV. Octobris, horis locoque conſuetis. Huic actui ſolenni ut Academiæ noſtræ Proceres, Hoſpites Cives, Fautores, omnium ordinum, dignitatumque ſplendore conſpicui, benevolentisſime adeſſe dignentur, quibus par eſt obſequiis, officiis ac humanitate rogantur, invitantur. P. P.

Halis, X. Octobris. M.DCCV.

(L. S.)